

CUM DEO  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE  
AFFECTIBUS

Physicè, oratoricè, Ethicè  
consideratis.

QUAM

Divina accedente benedictione.

*Ex consensu & approbatione amplissima & veneranda Facul-  
tatis Philosophicæ in inçlyta Christianea Academia*

SUB MODERAMINE ET PRÆSIDIO

*Nobilissimi & Consultissimi VIRI*

**Dn. MICHAELIS GyllenStålpeo/**  
Facultatis Philosophicæ Senioris & p. t. Decani Specta-  
bilis, Juris U Doctoris, ejusdem & Philosophiæ Practicæ Professos  
ris perecelebris Præceptoris promotoris & Benefactoris  
ætatem suspiciendi.

*Pro privilegijs & dignitatibus Philosophicis obtinendis  
publicæ disquisitioni subijcit*

**ERICUS CHRISTOPH: MYRICIUS VV-Gothus,**

Ad diem 16. Aprilis horis locoq; ordinarijs.

A B O Æ,

*Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Wald. An. 1652.*

V I R O

*Nobilissima Amplitudinis Dño*

DN. O L A O *B*re/ in *B*oo &  
Lemshaga/ Dicasterij Regij per amplissimum Ducatum  
Fenningiam olim Vice - Præsidi gravissimo, nunc grandæviori  
optimè emerito Patrono & Mæcenati meo suspiciendo

*NOBILISSIMO Dño*

Dn. S V E N O N I *S*wart/ in *S*unds  
by & *F*ugelbro ejusdem Parlamenti Assessori amplissimo,  
Nutritio meo per Sexennium cum dimidio hæcenus, benignis-  
simo & liberalissimo Fautori multorū beneficiorū no-  
minibus celebrando.

*Nobilissima familia Nobilis propaginis,*

Dn. Jacobo *S*Wart/ in *S*undby &  
*F*ugelbro hæreditario, ut discipulo per Sexennium cum  
dimidio usq; perindustrio, ita nunc fautori & amico sin-  
gulari & honorando.

*Viro Singulari virtute & prudentia Spectabili*

Dn. Laurentio Haquini Consuli  
Regio Neo-Forsliæ æquissimo & benemerito, Benefactori  
& fautori Meo honorando.

*V I R O Clarissimo*

M. HAQUINO L. Javelino Civitatis VViburgnsis  
Secretario, Consobrino meo dilecto

*Submissi & grati animi contestandi grati hanc disputationem  
Gradualem dedico & offero*

ERICUS Christoph: Myricius

I. N. D.  
Thesi I.

**A**ffectuum definitio realis hæc est: *Sunt motiones Appetitus sensitivi cum non naturali mutatione corporis ab objecto bono vel malo à phantasia proposito & aestimato, ad illud consequendum, hoc vitandum, ut Animal conservetur & optabiliori statu fruatur.*

2. Per Motionem tanquam per Genus proximum definitur; Non enim sunt naturales animæ facultates, sed ejus *functiones ac motiones*, & quidem ejus generis quas Philosophi immanentes vocant, quæ in ea facultate recipiuntur ut in subjecto, a qua manant ut causa efficiens.

3. *Subjectum* seu sedem affectuum ponimus *facultatē appetentem* qua inclinatur & impellitur animal ad cupiendum vel averſandum id quod sensu cognovit sequendū vel fugiendum.

4. Ad quemlibet affectuum tres distinctæ motiones concurrunt: *Facultas cognoscens, intellectus* scilicet. aut *sensus* movetur ob objecto: *facultas appetens* à judicio facultatis cognoscentis. *cor reliquum* quod corpus non naturali mutatione afficitur ab appetitu, *spiritibus & sanguine*, nunc ad externas corporis partes se effundentibus, nunc ad interiora recurrentibus. Prima motio est affectuum *origo*: in secunda affectus propriè & formaliter (ut loquuntur) consistunt: Tertia affectuum effectum sive consequens est. Contradictentes quoad Genus & subjectum Stoicos habemus, quorum opinionem ut erroneam brevitatis gratia omittimus.

5. *Objectum* affectuum est bonum & malum in gēnere: Affectus n. non à *sensu* solum oritur, hoc modo verlatur solum circa bonum jucundum & malum triste quod hominibus & brutis commune est; Sed etiam à *ratione* mediante sensu, & sic non solum bonum jucundum, sed etiam honestum & utile, & malum turpe ac damnosum affectus concitare possunt in homine rationis compote.

6. *Finis* affectuum *proximus* est consequi bonum & vitare malum; *remotus* v. salus & incolumitas animalis, quæ duabus rebus conservatur, boni necessarii consecutione & mali propulsatione. Consecutarium: affectus non sunt toto genere mali ut stoici videntur existimasse sed tantum quoad excessum & defectum.

7. Affectuum distinctionem nobis præbet eorū objectum prius indicatum ab appetitu conceptum, hic cum sit duplex: *concupiscibilis* sic dictus à principali suo actu, qui est concupiscere, aliàs etiam dictus *irrationalis*, quia eum cum brutis habemus communem, cujus objectum est quicquid est delectabile, suave & jucundum, item quicquid ingratum est & acerbum: Circa illud prosequitive, hoc àversative verlatur; Et *irascibilis*, qui dicitur aliàs *concupiscibilis* potentia propugnatrix, qua animal ad bonum aliquod, quod sine difficultate & labore adipisci non potest, fertur. Hæc animalia depellere conantur id, quo prohibentur à consecutione boni suaviter afficientis. Per hæc timent, audent & se defendunt adversus vim contrariam & homines per eam audaces & superbi sunt: intuitu igitur *objecti* hujus, alios *Bonos* alios *Malos affectus* vocamus.

8. *Boni* sunt qui ex *objecto* bono & jucundo apprehenso ab appetitu sensiti: *Concupiscibili* oriuntur: Quo-  
niam

niam levi & amico Spirituum & caloris motu cient cor,  
propterea naturam sentientis animantis fovent & con-  
servant, boni dicti; Mali qui ex *objecto malo* & ingrato  
orti & quia motu insvayis & aspero cient cor & eo ipso  
lædunt & destruunt naturam ( si laxentur ) mali dicti.

9. Boni qui sunt; moventur objecto bono vel tan-  
tum præsentis, vel tantum absentis.

10. Præsens bonū gignit *Lætitiam, qua est affectus quo*  
*se dilatat & extendit cor, amplectendo suaviter præsens bonum.*

In hoc affectu Spiritus feruntur extra, quia similia maxime  
appetant unionem, ideoq; Spiritus ad *Lætitia* autho-  
rem quasi exire conatur, Scal: exer: 310. Præsupponitur in  
hoc affectu AMOR, qui est affectus quo animus objectū  
amatum sibi cupit coaduniri unumq; cum eo fieri. Hu-  
jus proles sive potius proprietates concupiscentia, quæ est  
inclinatio ad unionem amantis cum amato. ex quo etiā  
consequitur quod amans benevelit amato, & sic Benevo-  
lencia oritur, quā insequitur Beneficentia. In priori affe-  
ctu nimis profusi calor & Spiritus non raro feruntur ex-  
tra, & interdum in summa corporis tam vehementer dis-  
sipantur ut mortem inducant, corde se. destituito calore.

11. Absens a bonum objectum, parit *Spem, qua est af-*  
*fectus sive motus suavis, cordis dilatantis & preparans*  
*se ipsum ad illud bonum amplectendum, quod absens*  
*est, dum occurrat.* Scal. exer. 314.

12. *Affectus vero mali vel simplices sunt, quorum idea*  
*sive forma est unius tantum generis, qui ab objecto in-*  
*grato oriuntur; Vel Mixti sive compositi, qui ex pluribus*  
*animi motibus constant,*

13. Prioris generis *objectum* indicatum ubi *præsens*  
*fuerit, oritur Tristitia, qua est motus cordis, quo se contrahit, re-*  
*tractis nimirum ad principia sua Spiritibus, ut malum præsens eo*

*vilet.* Hæc quoniam est ægritudo animum premens, calorem intus adigit, membra langvore deiecit, corpus enervat, & operationes magna ex parte impedit, sed quia est motus lentus, aut mortis causa non est, ut ad eam nõ nisi lento gradu ducit. Hæc referri potest Misericordia, quæ est tristitia ex alienis miserijs orta.

14. Futurum autem malum, *Metum* parit, quo cor constringitur tanquam fugiens; Dum enim illud fugere contendit animal, cor ejus constringitur: ex illa Spirituũ constrictione, in metu quo quis afficitur sequuntur, Pallor dum sanguis retrahitur & intra quasi revocatur (sanguis enim tribuit corpori roseum & floridum colorem) eo igitur retracto inducitur pallor. Træor mæbroũ qui oritur ex nervorũ motivorum imbecillitate, quæ in mentibus provenit ex regressu Spirituum, Horror qui est asperitas corporis & oritur quando introrsum refugiant Spiritus cutemq; destituunt.

15. Posterioris generis affectus intermedio modo se habent, unde etiam mixti dicuntur, quales: Ira quæ est affectus mixtus ex tristitia & ulciscendi cupiditate, Hujus duplex est motus cordis: Unus est astrictio & quasi compressio cordis, orta ex præsentis mali, quod à se depellere conatur, & hac ratione est affectus depulsionis; alter est dilatatio cordis, quo conatur malũ in ipsum authorem rejicere: Hic motus calorem exsuscitat & ab intimis ad extrema corporis evocat, quo fit ut irati vehementius incallescant, eumq; biliosum humorem concitent, & is insita levitate in cerebrum ascendit, accidit nõ nunquam ut irati rationis uso privantur. Hic affectus inveterat? odiũ dicitur, estq; habitus ex ira ortus, quo cor aversatur aliquid tanquã malũ idq; depellere gestit. Ubi verò quispiam sibi ipsi irascitur conscius turpitudinis à se

se admittit, unde sese & aliorum iudicium veretur, pudor dicitur. Uterq; est species iræ.

16. *Zelus* est affectus mixtus ex amore & ira, quando nempe amans irascitur illi à quo læditur res amata. Sic Zelo Elias interfecit pseudo prophetas, amans nimirum Deum, vehementer indignatus hostibus. Huic opponitur *ἔμψυχον ἔκστασις*, qui est affectus mixtus ex odio & gaudio, cum odio quis impulsus lætatur in aliorum calamitatibus. Hic affectus simpliciter malus est, convenientior Diabolo quam homini. Hæc de affectibus physice consideratis; Nunc quatenus Oratoriam spectant.

17. Eloquentiæ regnum præcipuè in eo consistit, quod suâ oratione vim animis auditorum orator inferat; quâ virtute si careat, siccus & ieiunus sine succo ac sanguine erit; Ut ait Vossius in sua Orat. contracta: Oratoris quippe finis ultimus est persuadere, h. e. diserta oratione auditores impellere ad agendum sive persequendum bonum & fugiendum malum.

18. Quod ut obtineat, non solum in argumentis *Logicis* & *Ethicis*, sed etiam *Pætheticis*, adhibendis occupatus erit. Inter ea, illa simpliciter necessaria, ista parcè & caute, hæc parcus usurpet: Prima enim orationis acumen, secunda *Lenitatem*, tertia *vim* addunt. His itaq; viro bono, apud bonos verba si sint facienda, opus non est; Apud rudem populum, qui orationis pondus parum aut nihil perpendit, omninè movere animos opus est, quò ad honestas actiones facilius perducatur. Immo, quia & eorum qui supra sapiunt multi, bonum quod approbant, non amplectantur, juxta illud *Medææ*:

— *Video meliora proboq;*  
*Deteriora sequor* —

Omni-

19. Omnino apud tales quoq; conducibile est, ut eorū animis faces accendamus, quo non solum assentiantur, sed etiam id, quod bonum, consent, agant.

20. Affectus quos movere tentant oratores, sunt ira, lenitas, amor, Odium, Metus, confidentia, pudor, gratia, misericordia, &c;

21. Horum alij magis locum habent in Deliberativo Genere, alij in Demonstrativo, alij in Juridicali; Hi enumerati cum cæteris omnibus, quos hic enumerare, nedum describere, necesse non ducō, locum habent in Didascalico, dum docendi gratia proponuntur.

22. Deliberativi magis proprii sunt, metus, fiducia, pudor; Demonstrativi, Lætitia & gratia: Juridicalis sunt ira, Clementia, amor, odium. Singula hæc fusius declarare non detrectarem, nisi brevitatis injunctæ ratio esset habenda; Ne autē planè subducius videar operi huic jugo indo, ostendam modum sciendi & sedandi in uno duntaxat, vidz. gratia, generi Demonstrativo appositæ, quâ quis benefacit, non quia ipse beneficium accupetur sed duntaxat ut ei commoedet cui beneficium præstat.

23. In hac & alijs, duo potissimum spectanda veniunt, aut enim opus est eam amplificare, quo desiderium exitemus in eo, cui beneficit gratiæ referendæ; Vel extenuamus, quo deprimimus, si non planò tollimus jactantiã ejus qui benefecisse videtur.

24. Exaggeratur hoc modo: 1. à persona cui quis gratificatur: Ut, si quis fuerit exul, vel aliàs maxime egens cui beneficit. 2. à re, quâ gratificatur; Ut si magnâ vel peropportuna. 3. à persona quæ gratificatur, ut si sola dederit, vel prima aut præcipua inter conferentes.

25. Extenuatur vero dum ostendimus non tam nostra quam sui causâ id factum; Et deniq; non sua spons



te, sed casu aut coactum, ubi quis summorum virorum postulato resistere non auderet. Item non tam beneficium dedisse quam reddidisse. Tandem, dum beneficium negemus esse tantum aut tale, quale expectabamus; Aut non datum esse suo loco & tempore. Ultimò plurimum etiam de dantis affectu deteri si possumus ostendere, aliàs in re minori olim eum non subvenisse, vel etiam inimicis par, si non majus contulisse beneficiũ atq; sic, quod dederit vile & abjectum quid esse.

*restat nunc de ijs Ethice agere.*

26. Affectuum doctrinam etiam ad Ethicam spectare, vel ex eo patet, cum ab Ethicis inter humanarum actionum principia censentur, & in ijs per se vagis edomãdis & dirigendis præcipue versatur Ethica, sicuti Medicus in curandis morbis, affectus quippe sunt morbi animi, si rationis fræno non coërcentur.

27. Huc itaq; partim ut causæ, partim etiam quatenus constituunt objectum internum & Materiam circa quam, affectus pertinent, in quibus rectitudo optata introducenda. Appetitus quippe omnis & inde insequentes motiones ex se cæci sunt, ea propter nihil persequuntur ut bonum, nihil fugiunt ut malũ morale scilicet, nisi facultate cognoscente excitentur & dirigantur.

28. Appetitus hominis affectuum origo, distinguitur in rationalem & rationis expertem: Ille voluntas, hic Appetitus absolute nuncupatur, ut enim voluntas rationem, ita hic sensum sequitur, indeq; sensit: appetitus dictus. Hic affectuum propriè dictorum sedes est: Omnes quippe animi affectus conjuncti sũt cũ corpore, semper enim cum his corpus aliquid patitur, quoties animus affectu turbatus, spiritus variè agitari, sanguinem moveri, cor concutti, prout ex superioribus patebat;

Sed voluntas immaterialis & inorganica est, itaq; mota voluntate, corpus non necessario movetur, nisi simul cum ea moveatur appetitus sensitivus: Non ergo potest voluntas esse sedes affectuum.

26. Non tamen est diffitendum quin in voluntate sit aliquid affectibus ἀνάλογον: Nam sicuti appetitus sensitivus movetur à judicio sensus, ita etiam movetur voluntas à judicio rationis, hujusmodi motiones si quis velit affectus nominare, non erit multum repugnandum, modo caveatur ne motiones appetitus sensitivi & voluntatis confundantur.

30. Duæ sunt hujus appetitus sensitivi, quem sedem fecimus affectibus, facultates, prout superius ex positionibus Physicis est declaratum, *concupiscibilis & irascibilis*: Hinc omnes pullulant affectus virtute cohibendi, quos undecim facimus, Sex in concupiscente, quinque in irascente sese exerentes. Horum affectuum deductione hic supersedeo, cum illa in Physicis positionibus suo modo instituta sit.

31. Non sufficit ad concitandos affectus, ut objectum appetitui à sensibus vel cognoscente facultate proponatur & indicetur; Sed requiritur præterea ut illud venseatur & judicetur sitne bonum an malum, non quidem absolute & in se, sed comparate ac nobis.

32. Judicium hoc atq; æstimatio à qua affectus proximè excitantur est actio *sensus interni*, quem *Phantasiam* vocant, à qua cum objecta æstimantur, vel concurrunt ad illam æstimationem ratio, vel non: Inq; hoc concursu, vel consentit ratio cum Phantasia, vel dissentit: si contentus animus sine ulla hesitatione amplectitur objectum bonum, repudiat verò malum, firmiterq; in proposito perstitit.

33. Si verò ratio Phantasia desentit, oritur inde incertitudo animi & fluctuatio quadam, quæ non prius componitur, quam vel ratio affectum phantasiæ iudicio excitatum superavit, vel se ab affectu exæcatam iudicio Phantasiæ subiecit.

34. Quod affectus illos attinet, qui rationem antevertunt, actionesq; quæ ex illis fluunt: Etsi minus sint spontaneæ quàm cæteræ, hæctenus tamen in nostra potestate sunt, ut peccati rationem habeant, si sint contra rectæ rationis dictamen: Nam id saltem in nostra est potestate, ita comparatum habere animum à consuetudine, ut à nullo objecto moveri possit ad aliquid agendum, nisi consultâ prius ratione. Aliàs affectus sunt instar funiculorum quibus rapimur: folliculi quo inflamur: nevorum quibus mouemur, ventorum quibus impellimur magis ad mala quam bona. Sed Deus cunctipotens qui ita primitus sapienter ordinasti, ut imperium, in nobis, sit penes optimum, rationem scilz. illam divino tuo afflatu semper collustra, ut imperium hoc illa jugiter teneat & omnia in bonum dirigat! Et hæc pro ratione instituti & brevitatis inunctæ adferre, libuit brevitati veniam datæquus quilibet censor,

## COROLLARIA

I.

Quod homo pluribus affecti-

B 2

bus

- bus obnoxius sit quam bruta,  
non inde est, quod in homi-  
ne sint duplicis generis, alij  
in voluntate, alij in appetitu  
sensitivo; Sed quod alij a ratio-  
ne mediante sensu excitentur
2. Homines si sibi permittantur, potius *κατὰ πάθος* quam *κατὰ λόγον* vitam instituunt.
  3. Affectus non pendent a corporis temperamento.
  4. In affectibus duplex contrarietas spectanda est, altera in objectis, altera in terminis.
  5. Sermocinatio principalis Lingvæ actio non est.